

PONTIFICIUM CONSLIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXIII - N. 1

2001

COMMUNICATIONES
PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 2001

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Nova lex fundamentalis Civitatis Vaticanae	3
Allocutio ad Auditores, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos.	9
Allocutio ad eos qui in Cursu de foro interno Paenitentiariae Apostolicae partem habuerunt.	16

ACTA CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	21
RELATIONES CUM IURIS CANONICIS STUDIOSIS	23

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

Istruzioni sull'invio e la permanenza all'estero dei sacerdoti del clero diocesano dei territori di missione	24
--	----

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Responsum ad dubium propositum de SS.mo Sangiune Christi.	30
---	----

**EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS
CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO**

Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio IV)	32
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio V)	62
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio VI)	82
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio VII)	109
NOTITIAE	133
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	134

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

COETUS STUDIORUM « DE MATRIMONIO »

Sessio IV^a

(dd. 25-30 martii 1968 habita)

Diebus 25-30 martii 1968, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas CIC de Matrimonio.

Interfuerunt Exc.mi Schneider et Lourdusamy; Ill.mi ac Rev.mi Anné, Damizia, Quinn, Chen, Garcia Barberena, Cremin, Chen-Tao-Che, et Flatten; Rev.mus P. Huizing; et Cl.mus Giacchi.

Praesentes etiam erant Rev.mus P. Bidagor, Secretarius Generalis et Rev.mus Voto, a studiis ipsius Commissionis.


Sextae et septimae adunationi praefuit Em.mus Card. Pericles Felici, Praeses Commissionis; ceteris autem adunationibus praefuit Rev.mus Secretarius. Rev.mus Huizing functus est munere Relatoris et Rev.mus Voto munere actuarii.

Questiones a Secretaria Commissionis propositae erant sequentes:

1. De subiecto impedimentorum ecclesiasticorum;
2. Quaenam sint recognoscenda, scilicet mutanda, addenda vel supprimenda in normis de consensu matrimoniali.

Singuli praesentes Consultores, excepto Rev.mo Chen-Tao-Che, votum de propositis quaestionibus paraverunt. Etiam Exc.mus Consultor Josephus Bank, qui Sessioni interesse non potuit, votum suum scripto Secretariae miserat.

De his votis Rev.mus Relator in scriptis Relationem apparavit manifestando sententiam quam quisque Consultor in suo voto expresserat.



Adunatio I^a
die 25 martii 1968 – mane

Rev.mus Secretarius salutem dicit Consultoribus et introducit argumenta in hac Sessione examinanda, de subiecto scilicet impedimentorum et de consensu matrimoniali. Deinde petit a Rev.mo Relatore ut singulas quaestiones proponat.

Rev.mus Relator dicit primam quaestionem esse illam de subiecto impedimentorum, sed quaerit a Consultoribus num conveniat cito illam examinare, vel potius discussionem remittere postquam actum sit de forma canonica matrimonii, quia etiam circa formam canonicam statuendum erit quinam illi teneantur.

Fit aliqua discussio in qua maior pars Consultorum dicunt quaestionem cito tractandam esse, quia potest habere suam solutionem forte diversam ab illa quam habebit quaestio de subiecto formae canonicae matrimonii.

Fit suffragatio placeatne cito examinare quaestionem de subiecto impedimentorum.

Placet n. 8, non placet n. 4.

Deinde Rev.mus Relator quaerit Consultoribus ut dicant suam sententiam de subiecto impedimentorum.

Exc.mus primus Consultor: In praesentibus rerum adiunctis melius est eximere acatholicos ab impedimentis matrimonialibus iuris ecclesiastici, expresse tamen dicendum est Ecclesiam habere potestatem ligandi ipsos talibus impedimentis.

Item Rev.mi secondus, tertius, quartus, quintus, sextus, septimus, et octavus Consultores eximere volunt acatholicos, quin tamen in canone principium memoretur de potestate Ecclesiae illos ligandi.

Rationes propter quas acatholici eximendi sunt quaeruntur vel ex capite oecumenismi (Rev.mus quartus Consultor); vel qui non « plene Ecclesiae societati incorporantur, neque in eiusdem compage visibili iunguntur » (Exc.mus nonus Consultor); vel quia vanum esset ferre leges pro illis qui leges ipsas certo ignorabunt, cum vivant extra Ecclesiam catholicam (Exc.mus nonus Consultor et Rev.mi tertius et quintus Consultores); vel quia secus matrimonium acatholicorum, sine dispensatione ab impedimento contractum, esset nullum et sponsi gratia sacramentali privarentur (Rev.mus sextus Consultor).

Quod autem attinet ad potestatem Ecclesiae illos ligandi legibus eccl-

siasticis. Quaestio potius tractanda est in normis generalibus (Rev.mi secundus, quartus, et octavus Consultores).

Rev.mi decimus et undecimus Consultores nolunt acatholicos ab impedimentis iuris ecclesiastici eximere. Si enim eximerentur, dicit Rev.mus decimus Consultor, introduceretur in nostro iure principium novum cuius consequentiae iurisprudentiales non facile praevideri possunt. Ceterum solutio quaestionis intime conexa est cum solutione quaestionis de matrimoniis mixtis, quia eadem liberalitate vel restrictione procedendum erit pro utraque quaestione. Praeterea considerandum est de aliquibus impedimentis non eodem modo auctores sentire, utrum scilicet sint necne iuris naturalis vel ecclesiastici. In novo Codice impedimenta iuris mere ecclesiastici pauciora erunt quam in CIC et ideo rationes prolatae pro exemptione acatholicorum aliquomodo enervantur.

Ill.mus undecimus Consultor animadvertisit impedimenta aliter se haberi ad matrimonium quam formam canonicam. Impedimenta enim, secus ac forma, tangunt ipsam capacitatem contrahendi, ideoque non videtur congruum instituere aequiparationem inter formam et impedimenta in ordine ad exemptionem acatholicorum. Praeterea videretur magis favere oecumenismo subiectio catholicorum et acatholicorum eisdem legibus, quam exemptio acatholicorum a legibus catholicis impositis.

Rev.mus Secretarius notat ex discussione Consultorum deduci posse:

a) nihil hic dicendum esse de potestate qua pollet Ecclesia imponendi leges etiam acatholicis;

b) difficultatem gravem invocari pro acatholicis eximendis ex eo quod auctores discordes sint in classificatione impedimentorum iuris ecclesiastici et iuris naturalis.

Ideoque Rev.mus Secretarius proponit Consultoribus ut perpendant num conveniat restringere exemptionem acatholicorum ad impedimenta iuris *mere* ecclesiastici, nisi forte de aliquo illorum impedimentorum peculiari ratio exstet ut teneat etiam acatholicos.

Ill.mus undecimus Consultor animadvertisit quod si singula impedimenta iuris positivi ecclesiastici examinentur, semper ratio aliqua ordinis moralis appareat propter quam impedimentum sustinetur in Ecclesia catholica; iamvero non videtur congruum quod illae rationes ordinis moralis quae militant ad constituenda impedimenta pro catholicis, suam vim amittant quando agitur de acatholicis; invocata exemptio acatholicorum ab impedimentis proinde videtur fundamento carere.

Alii Consultores autem accedunt suggestioni Rev.mi Secretarii et

Rev.mus quartus Consultor proponit quod in prima paragrapho agatur de exemptione acatholicon ab impedimentis iuris mere ecclesiastici et in altera paragrapho expresse dicatur acatholicos teneri impedimentis iuris divini et naturalis, nec non tali vel tali alio impedimento iuris mere ecclesiastici.

Adunatio II^a
die 25 martii 1968 – vespere

Rev.mus Relator resumit quaestionem de exemptione acatholicon ab impedimentis iuris mere ecclesiastici, prout in discussione matutina habita est.

Exc.mus duodecimus Consultor fatetur se multum cogitasse de consequentiis huius propositae exemptionis, in contextu doctrinae catholicae de exclusiva competentia Ecclesiae in regendo matrimonio christianorum.

Iamvero si exemptio acatholicon statuatur, quaerendum est cui legi illa matrimonia subiaceant ad impedimenta quod attinet.

Consultores dicunt quaestionem positam ab Exc.mo duodecimo Consultore certo gravem esse sed non univoce ex illa ducunt argumenta pro rei solutione.

Aliqui (Rev.mi decimus et undecimus Consultores) exinde dicunt acatholicos eximi non posse ab impedimentis.

Alii (Exc.mus primus et Rev.mus secundus Consultores) putant edici posse acatholicos teneri legibus propriae sectae vel rei publicae.

Rev.mi quartus, sextus et octavus Consultores putant quod si exemptio fiet, illa matrimonia *de facto* manent sub imperio legis propriae sectae vel rei publicae sicut et nunc a parte rei evenit, non obstante vigenti disciplina canonica. Proinde obiectio Exc.mi duodecimi Consultoris non impedit quominus in linea practica exemptio fiat.

Rev.mus Relator dicit quod lex quae penitus ignoratur ab aliqua communitate nullum sensum habet; nam acatholici, etsi ligentur impedimentis, sicut in disciplina vigenti, de facto matrimonia contrahunt secundum proprias leges. Quaestio ponitur tantum pro illis coniugibus qui veniunt ad forum Ecclesiae. Iamvero quomodo illi coniuges a foro Ecclesiae tractari possunt ad normam legum quas penitus ignoraverunt? Videretur potius quod illi casus iudicari deberent ad normam legum quibus in praeterito subiecti fuerunt.

Rev.mo Relator opponitur fundamentum nostrae quaestiones esse in can. 12, in supposito nempe quod CIC teneat omnes baptizatos (Rev.mus decimus Consultor). Agitur enim de quaestione interna nostro ordinamen-

to iuridico; norma enim valet pro nobis, ita tu si rationes exurgant cum acatholicis, ordinamentum canonicum instrumentis iuridicis munitur ad casus illos solvendos et ex hoc ipso capite acceptari nequit propositio Exc.mi primi et Rev.mi secundi Consultorum subiciendi illa matrimonia legibus propriae sectae vel rei publicae (Ill.mus undecimus Consultor).

Rev.mus Secretarius animadvertisit eandem quaestionem positam ab Exc.mo duodecimo Consultore fieri posse circa formam canonicam relate ad matrimonia acatholicorum. Ad normam can. 1099, § 2 enim acatholici non tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam. Per illam exemptionem legislatores CIC certe praevidebant debuisse eadem incommoda quae in nostro Coetu praevidentur ex proposita exemptione ab impedimentis iuris mere ecclesiastici. De facto tamen ex historia non constat incommoda secuta fuisse ex illa exemptione a forma canonica et hoc argumentum nobis praebet ut tuto procedere possimus in concedenda exemptione ab impedimentis iuris mere ecclesiastici.

Ill.mus undecimus Consultor respondit Rev.mo Relatori negando paritatem inter formam canonicam et impedimenta matrimonialia, quia impedimenta pressius quam formam spectant ad matrimonium.

Suffragatur placeatne eximere acatholicos ab impedimentis iuris mere ecclesiastici.

Placet n. 9; non placet n. 3.

Rev.mus quartus Consultor quaerit nonne per recognitum can. 1038, § 3, Conferentiae episcopales facultatem habeant eximendi acatholicos ab impedimentis iuris mere ecclesiastici.

Exc.mus duodecimus Consultor putat Conferentias episcopales nullo modo abrogare posse legi generali Ecclesiae, nisi expresse ipsis concedatur.

Alii Consultores idem dicunt.

Deinde quaeritur inter Consultores quibus acatholicis exemptio ab impedimentis extendenda sit.

Sententiae discordes sunt:

– Exc.mus duodecimus Consultor et Rev.mi quintus, octavus, sextus, et septimus Consultores dicunt eximendos esse ab impedimentis acatholicos qui *numquam* pertinuerunt ad Ecclesiam catholicam.

– Exc.mus primus Consultor et Rev.mus secundus Consultor eximere volunt etiam illos qui ante usum rationis Ecclesiam dereliquerunt.

– Rev.mi decimus et tertius Consultores eximere volunt omnes baptizatos extra Ecclesiam Catholicam.

- Rev.mus quartus Consultor nolit eximere illos qui Ecclesiam dereliquerunt post ademptum usum rationis.
- Ill.mus undecimus Consultor vult eximere omnes qui sunt extra Ecclesiam, exceptis apostatis quoad ordinem sacram.
- Rev.mus Relator positivo modo diceret legibus impedimentorum teneri omnes qui saltem ab aetate sexdecim annorum Ecclesiae Catholicae adscripti fuerunt.

Committitur Rev.mis decimo, octavo et sexto Consultoribus et Rev.mo Relatori ut formulam canonis redigant de exemptione acatholicorum ab impedimentis iuris mere ecclesiastici (N.B. de prosecutione huius quaestio-
nis dicetur in relatione adunationum VIII et IX).

Adunatio III^a
die 26 martii 1968 – mane

Altera quaestio a Secretaria proposita studio et discussionibus Consul-
torum pro praesenti sessione est circa consensum matrimonialem.

Rev.mus Relator proponit ut Coetus sequatur pro discussione ordinem
canonum CIC.

Can. 1081, § 1

Canon examinatur per partes:

1. «*Matrimonium facit (partium) consensus*».

Exc.mus duodecimus Consultor in suo voto proposuit ut diceretur:
«*Consensus matrimonialis est pars necessaria et essentialis contractus matrimoni-
alis...*».

Idem Exc.mus dicit se, ad hanc propositionem faciendam, usum esse,
praeter documenta Concilii Vaticani II, etiam sententiis expressis in Com-
missione Praeparatoria ipsius Concilii, ita ut momentum pastorale iuris in
lucem ponatur. Locutio CIC «*matrimonium facit (partium) consensus*» non
placet quia affirmit consensum esse absolute necessarium et *sufficientem* ut
matrimonium inter personas iure habiles habeatur; dum, e contra, etiam
alia elementa fortasse necessaria sunt.

Singuli Consultores manifestant propriam sententiam.

Exc.mus primus Consultor vult formulam CIC: si reciperetur formu-
la proposita ab Exc.mo duodecimo Consultore, ex ipsa argueretur etiam

alia elementa, praeter consensum, ad legitimum matrimonium faciendum requiri.

Rev.mus secundus Consultor consentit cum Exc.mo duodecimo Consultore et censem consensum non esse unicum elementum essentiale ad matrimonium faciendum; pro diversis enim culturis populorum possibile est et de facto evenit ut alia elementa essentialia habeantur. Affert exempla aliquarum regionum Africæ ubi consensus parentum nupturientium essentialis est ad matrimonium faciendum. Matrimonium est institutum præ-primis sociale, cuius notio et vis necessario cum progressu culturae intime ligatur, prout nempe cardo populi stat aut in familia sensu lato seu «*clan*», aut in familia sensu stricto, et prout valor personalitatis plene, minus aut parum agnoscitur. Ex his oriuntur elementa essentialia matrimonii in fieri quae nos agnoscere debemus.

Rev.mus decimus Consultor censem neminem negare posse tantum consensum esse elementum essentiale ad matrimonium faciendum: quod si alicubi alia elementa requirantur, illa potius ut *conditiones* habenda sunt, etsi, pro gradu evolutionis culturae aliquorum populorum, tales conditiones ita proponantur ut nobis apparere possint tamquam elementa essentialia. Periculorum esset recedere a nostro principio quod «*matrimonium facit partium consensus*». Formula traditionalis ergo retinere oportet, quod tamen non tollit ut aliquae conditiones externae accedant ut ex. gr. consensus parentum, dos, etc., quibus valor dirimens tribuatur, sicuti apud nos factum est de forma canonica matrimonii.

Ad pastoralitatem quod attinet, providendum potius erit per aliquod Directorium.

Rev.mus tertius Consultor: Si matrimonium sive in fieri, sive in facto esse consideretur, etiam alia elementa, praeter consensum, adesse debent. Propter hanc causam et etiam ob rationes expositas ab Rev.mo secundo Consultore placet formula Exc.mi duodecimi Consultoris.

Rev.mus quintus Consultor: Formula CIC retinenda est, qui continet essentiam internam constitutivam contractus matrimonialis.

Rev.mus quartus Consultor: Formula CIC retinenda est quia tantum de consensu affirmari potest quod natura sua matrimonium facit.

Rev.mus septimus Consultor censem formulam CIC retinendam esse; suggestiones Rev.mi secundi Consultoris tamen perpendendas esse quia apud quosdam populos matrimonium non habetur ut contractus, sed ut institutum quoddam sociale talibus vel talibus modalitatibus munitum.

Rev.mus sextus Consultor censem exigentiis pastoralibus tuto satisfieri posse si in formula CIC dicatur Deum auctorem matrimonii esse.

Rev.mus octavus Consultor: Canon redigendus est rigore stricte iuridi-

co; minime in hac materia indulgendum est exigentiis pastoralibus. Suggestiones Rev.mi secundi Consultoris suum momentum habent, sed non potest aequiparari consensus, qui est causa efficiens matrimonii, cum aliis elementis, quae ut conditiones habendae sunt, etsi necessariae.

Ill.mus undecimus Consultor: Verba CIC mutari nequeunt quia indicant elementum essentiale et intrinsecum matrimonii, circa quod dubia admitti non possunt. Partes, quae conficiunt negotium matrimonii, sunt sponsi qui consensum dant. Talis consensus ulla integratione indiget ex parte parentum, vel ex parte Status, vel ex parte Ecclesiae, ut volunt fautores theseos actuum complexum, ut aiunt; quod quidem esset regressus in nostro iure, potius quam progressus. Circa alia elementa, quae in populis alterius culturae forte requirantur, potius consideranda sunt ut conditiones negotii.

Instat Rev.mus secundus Consultor et asserit apud quosdam populos Africae illa alia elementa essentialia esse ad conficiendum matrimonium. Ceterum etiam ex historia iuris canonici patet saeculis medii aevi, ex influxu iuris germanici, alia elementa recepta fuisse, et tantum a tempore Gratiani praevaluisse principium quod matrimonium facit consensus partium.

Etiam Rev.mus quartus Consultor accedit aliquantulum Rev.mo secundo Consultori eo sensu quod saltem investigatio aliqua facienda sit num in illis regionibus Africae revera alia elementa, loco partium consensus, essentialia sint. Si ita esset, nos possemus canonem conficere edicendo consensus partium matrimonium facere, salvis aliis elementis quae, ex indole quorundam populorum, tale consensus completere debeat.

Rev.mus Relator animadvertisit quod etiam in regionibus Europae, saeculis praeteritis, matrimonia saepe a parentibus contrahebantur; Ecclesia tamen numquam consideravit elementum hoc ut causa efficiens relationum coniugum, sed semper requisivit consensus partium, ut elementum essentiale et causam efficientem matrimonii quamquam alia elementa, ex conditionibus socialibus, adesse poterint.

Rev.mus Secretarius meminit principium causalitatis efficientis consensus in ordine ad matrimonium iam clare enunciatum inveniri apud S. Ambrosium (non concubitus sed consensus partium facit matrimonium) et deinde in tota traditione canonica. Quoad rationem allatam ab Exc.mo duodecimo Consultore pro mutanda formula, id est vota expressa in Commissione praeparatoria Concilii Vaticani II, Rev.mus Secretarius notat illas sententias prolatas fuisse non in contextu definitionis causae efficientis matrimonii, sed potius in contextu necessitatis pastoralis docendi sponsos circa momentum consensus, ita ut sponsi dent consensus plenum, conditionibus non vitiatum.

Id quod in tuto ponendum videtur, asserit Rev.mus Secretarius, ut cardo notionis nostrae matrimonii, est principium quod matrimonium efficitur consensu partium, quamquam aliae conditiones admitti possunt. Quod si diversa sequela rerum apud quosdam populos spectare accidat, hoc non potest nos inducere ut talem notionem deseramus.

Ill.mus undecimus Consultor assentitur Rev.mo Secretario et dicit proprium esse Ecclesiae ut ducat gentes ad amplectendam notionem quae non potest considerari tamquam propriam nostrae culturae, sed propriam omnium gentium, quia omnes gentes pervenire debent ad agnoscendam libertatem personae humanae in ordine ad actus essentiales propriae vitae, ut puta matrimonium, religiosos, etc...

Etiam Rev.mus Relator asserit principium consensum sponsorum, ipsumque solum esse causam efficientem matrimonii, non tantum ad determinatam culturam pertinere, sed ad ipsam conceptionem christianam matrimonii. Etiam apud populos alienae culturae Ecclesia hoc principium tueri et propagare tenet. Si autem hic consensus adest, nihil refert qua ratione manifestetur. Per se sufficit quod implicite adsit in tractatibus et conventionibus familiarum. Unde problema adaptationis iuris in hac re potius pertinere videtur ad formam et sollemitates contractus matrimonialis.

Rev.mus decimus Consultor censem in alio loco dici posse Ecclesiam magni aestimare mores illorum populorum qui alia elementa, praeter consensum partium, ad matrimonium faciendum exigunt.

Rev.mus Secretarius promittit Consultoribus Secretariam nostrae Commissionis rogaturam esse vota alicuius Episcopi Africae necnon aliquius periti in scientia ethnographica ut dicant quid sentiant de consensu partium et de aliis elementis, in contextu culturae illorum populorum.

His dictis, omnes Consultores concordant pro retinenda formula « *matrimonium facit (partium) consensus* ».

2. Exc.mus nonus Consultor, in suo voto, proponit ut diceretur « *nuptientium* » loco « *partium* ».

Suffragatur placeatne talis propositio:

Placet n. 1; Non placet n. 11.

3. Exc.mus nonus Consultor necessarium censem ut in canone referantur praecipuae qualitates consensus per verba « ...consensus internus, mutuus cum plena mentis advertentia et perfecta voluntatis libertate... ».

Omnis fere Consultores nolunt qualitates consensus referre, quia hoc pertinet ad doctrinam et di vitiis consensus quod attinet expresse dicetur in canonibus sequentibus.

4. «...*inter personas iure habiles legitime manifestatus*». Exc.mus nonus Consultor proponit ut dicatur «*sub forma legali manifestatus*». Talis locutio videtur Ill.mo undecimo Consultore magis technica, sed alii Consultores praferunt verba «*legitime manifestatus*».

Adunatio IV^a
die 27 martii 1968 – mane

Consultores presequuntur discussionem circa can. 1081, § 1:

5. «...*qui nulla humana potestate suppleri potest*».

Proponitur ut haec verba omittantur quia innuunt quaestionem theoreticam, scilicet num divina potestas supplere possit consensum (Exc.mus nonus Consultor et Rev.mus quartus Consultor) et quia de facto aliqualis supplementia ex parte Ecclesiae admittenda videtur, in casu, sanationis in radice quando alterutra pars non vult matrimonium sanare et, ea inscia, ab Ecclesia matrimonium sanatur (Rev.mus quartus Consultor).

Alii Rev.mi Consultores retinere volunt illa verba quia:

- a. si delerentur, quaeri poset cur deleta sint, quasi Coetus tacite admetitat possibilitatem supplendi consensum (Exc.mus duodecimus Consultor);
- b. per illa verba appareat peculiaritas huius contractus, ubi consensus a nomine suppleri potest, dum in aliis contractibus, in casibus a iure statutis, aliquando consensus suppletur a publica auctoritate (Rev.mus sextus Consultor);
- c. secus non appareret absoluta necessitas consensus (Rev.mus octavus Consultor);
- d. illa verba sunt directiva et continent normam peculiarem iuris canonici a qua descendit can. 1086 (Ill.mus undecimus Consultor).

Exc.mus primus Consultor et Rev.mus tertius Consultor dicunt omitti posse verbum «*humana*».

Rev.mus sextus Consultor proponit ut formula compleatur per verba «...*qui ita necessarius est ut nulla humana potestate suppleri potest*».

Rev.mus Relator ad rationem a Rev.mo quarto Consultore allatam animadvertisit sanationem in radice dari ab Ecclesia *dummodo consensus perseveret*. Ab illo consensu enim pendet relatio iuridica matrimonialis quae de facto exsistit quaeque ab Ecclesia sanatur. Nihil refert si pars hic et nunc monita de invaliditate matrimonii, consensum retractaret.

Suffragatur placeatne verba «*qui nulla humana potestate suppleri possit*».

Placet n. 6; non placet n. 5, abstinet a sententia ferenda n. 1.

Suffragatur propositio Rev.mi sexti Consultoris: «*...qui ita necessarius est ut nulla etc....*».

Placet n. 2; non placet n. 10.

Aliae propositiones circa eundem can. 1081, § 1, sunt sequentes:

a. «*Matrimonium, quod prout est institutum (vel coniugalis coniunctio?) propria sua natura (et inter baptizatos per elevationem ad dignitatem sacramenti) ordinatur et determinatur non voluntate hominis sed Dei, facit partium consensus, etc*» (Rev.mus sextus Consultor). Hoc modo, dicit Rev.mus sextus Consultor, explicita mentio fit non tantum contractus, sed etiam instituti matrimonialis, eiusque ordinationis divinae, qua fit ut natura matrimonii pendeat non ex humano arbitrio contrahentium sed ex voluntate Dei.

Conta talem propositionem animadvertisit Rev.mus octavus Consultor (cui assentit Exc.mus duodecimus Consultor) iam in can. 1013 statutum esse quid sit matrimonium. Proinde, ut ordo systematicus servetur, non potest, denuo, hic dici quid sit matrimonium.

Ill.mus undecimus Consultor, e contra, censet sine offensione ordinis systematici admitti hic posse talem propositionem, quia contractus quem sponsi faciunt accommodari debet ad institutum a Deo datum. Consensus scilicet facit matrimonium prout a Deo statutum.

Propositioni Rev.mi sexti Consultoris favent etiam Exc.mus primus Consultor et Rev.mi secundus et quartus Consultores, sed aliqui dicunt apud locum huius propositionis esse in canonibus praeliminaribus (can. 1012 vel 1013).

Suffragatio fit num placeat introducere in can. 1081 propositionem Rev.mi sexti Consultoris.

Placet n. 1; non placet n. 9; abstinent a sententia ferenda n. 2.

Omnis Rev.mi Consultores tamen concordant ut praecipua elementa talis propositionis introducantur in canonibus praeliminaribus de matrimonio. Consultores propterea, antequam V^a Sessio celebretur, votum mittent Secretariae Commissionis de ulteriore recognitione illorum canonum praeliminarum ad sensum propositionis Rev.mi sexti Consultoris.

b. «*Matrimonium deliberato consensu viri et mulieris efficitur, qui nulla humana potestate suppleri potest: tantum personae quae capacitate iuridica ad matrimonium contrahendum fruuntur, validum consensum elicere possunt*» (Rev.mus decimus Consultor).

Rev.mus decimus Consultor dicit se velle in lucem ponere deliberationem esse aequo iure sive apud virum sive apud mulierem.

Contra talem formulam Rev.mus Relator notat quod non aliud videtur significare quam canon CIC et, praeterea, deest mentio legitimae manifestationis consensus.

Rev.mus Secretarius insuper notat in tali formula affirmari capacitatem iuridicam in abstracto, non autem capacitatem canonicam quoad illud determinatum matrimonium contrahendum.

Rev.mus decimus Consultor renuntiat suae propositioni.

c. Rev.mus tertius Consultor censet dubia gravia moveri posse num iuvenes omnes nostrorum temporum ad talem maturitatem pervenire possint ut «*personae iure habiles*» ad matrimonium dicantur. Canon enim 1067, dicit Rev.mus tertius Consultor, praesumit omnes post adeptam aetatem 16 resp. 14 annorum iure habiles esse; in USA autem 11.000.000 fere pueri et puellae carent patre et matre. Tales iuvenes valentne intelligere notiones traditionales matrimonii et familiae? Suntne habiles ad consensum specificem matrimoniale eliciendum? Idem dubium surgit ex praxi late diffusa divorpii civilis.

Rev.mus Relator dicit Rev.mo tertio Consultori dubia haec minime infirmare principium quod sponsi debeat esse iure habiles ad matrimonium; illa dubia respiciunt potius cognitionem requisitam ad consensum eliciendum et, in specie, effectum erroris circa naturam matrimonii.

Quaestio ergo suo loco tractabitur.

Adunatio V^a
die 27 martii 1968 – vespera

Can. 1081, § 2

Rev.mus Relator, perfectis votis Rev.morum Consultorum (prout in sua relatione), quaerit quid sentiant Rev.mi Consultores de structura huius § 2, utrum scilicet in ipsa describi debeat obiectum consensus matrimonialis, an tantum remissionem fieri ad can. 1013.

Exc.mi primus et duodecimus Consultores, et Rev.mus secundus Consultor putant hic fieri posse remissionem ad can. 1013 quoad obiectum circa quod versari debet consensus. Canon autem 1013 melius redigi debet postquam Summus Pontifex responsum dederit circa fines matrimonii.

Rev.mus tertius Consultor optat ut de hac quaestione consultantur theologi.

Rev.mus decimus Consultor vellet redigere formulam can. 1081, § 2 generico modo, ita ut non praeiudicet neque responsioni Summi Pontificis, neque aliis exigentiis quae forte ex progressu scientifico oriri poterunt.

Rev.mus quintus Consultor laudat claritatem textus, prout iacet in CIC et putat difficulter alium textum redigi posse qui cohaereat evolutioni quaestionis circa fines matrimonii.

Rev.mus quartus Consultor censet omnino difficile tradere definitio nem consensus nulli obiectioni obnoxiam. Ideoque praefert definitionem vagam dummodo clare exprimantur vitia consensus in sequentibus canonibus.

Rev.mus septimus Consultor animadvertisit quod si fieret remissio ad can. 1013, plura elementa intrarent tamquam obiectum consensus. Consensus, e contra, versari debet circa elementa essentialissima et matrimonio omnino peculiaria.

Rev.mus sextus Consultor censet quod si retineatur can. 1086, obiectum consensus in praesente can. 1081, § 2 clare determinare illudque ad elementum aliquod bene circumscripum restringere oportet. Si enim in tali obiecto ingrederetur etiam consortium vitae, quot essent causae nullitatis vi can. 1086? Ideoque retinenda videtur formula can. 1081, § 2 prout est in CIC.

Rev.mus octavus Consultor nolit remissionem ad can. 1013; optat ut redigatur canon qui quam minimum obiectum consensus determinet; quid autem contrahentes cognoscere debent, ut matrimonialis consensus haberi possit, dicetur in can. 1082 et ibi, si placet, clarius loqui poterit de vitae consortio.

Ill.mus undecimus Consultor censet in can. 1013 describi oportere matrimonium in suis elementis constitutivis essentialibus ibique locum aptum dari ut melius loquatur etiam de amore coniugali. In praesenti canone autem indicari debent elementa formalia, quibus deficientibus rationes invaliditatis oriuntur in ordine iuridico. Elementa haec formalia non videntur reduci posse ad «*ius in corpus*». Sponsi enim tendunt *ad consortium vitae* quod secum ferat, ut quid proprium talis consortii, ius in corpus in ordine ad actus per se aptos ad proles generationem.

Rev.mus Relator optat ut in can. 1013 detur descriptio matrimonii (in facto esse) et in can. 1081, § 2 remittatur ad can. 1013, dummodo in ipso can. 1013 ea omnia et sola contineantur quae sunt de substantia matrimonii. Consensus, enim, seu contractus matrimonialis (matrimonium in fieri) aliud obiectum habere nequit nisi matrimonium existens seu «in facto esse».

Adunatio VI^a
die 27 martii 1968 – vespera

Rev.mus Relator dicit ex discussione matutina deduci posse maiorem partem Consultorum nolle simplicem remissionem ad can. 1013 ad indicandum obiectum consensus; ex ipsa autem non clare constare utrum can. 1081, § 2 determinare debeat obiectum consensus quam minimum requisitum ut matrimonium consistere possit, an omnia elementa constitutiva matrimonii, in can. 1013 descripta, continere debeat tamquam obiectum ipsius consensus.

Quapropter, dicit Rev.mus Relator, Consultores rogantur ut clarius mentem suam dicant.

Habetur ideo discussio quae protrahitur per spatium totius conventus matutini.

a. Aliqui vellent plus minusve servare § 2 prout est in CIC.

Exc.mus duodecimus Consultor enim notat quod in Codice vigenti can. 1081, § 2 et can. 1013 non coincidunt, ergo in novo codice non necessario coincidere debent.

Rev.mus decimus Consultor censet in can. 1013 recenseri elementa dogmatica, moralia et iuridica. Consortium vitae videtur esse elementum ordinis moralis fines matrimonii respiciens. Iamvero fines non constituunt essentiam matrimonii. Unicum elementum quod est iuridicum est traditio iuris in corpus in ordine ad actus generationis, quod quidem, ex ordinariis contingentibus, consortium vitae postulat et implice continet.

Rev.mus quintus Consultor timet plura incommoda obventura si a vigenti textu recedimus. Ceterum, dicit ipse, attendendum est canonem valere debere etiam pro populis nondum evolutis, qui certo certius putant ius in corpus elementum essentiale esse matrimonii, sed omnino dubitandum est num consortium vitae quoque uti constitutivum matrimonii attingant.

Rev.mus sextus Consultor censet consensum, quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, esse factum aliquod iuridicum, bene determinatum et tutum, etsi non complete respondentem toti realitati existentiali matrimonii. Sed in actuali statu scientiae iuridicae non videtur introduci posse alia elementa ut obiectum consensus, quia carent nota determinationis et securitatis qua gaudet traditio iuris in corpus.

Rev.mus septimus Consultor censet can. 1081, § 2 obiectum quam minimum consensus determinare debere, quo deficiente, matrimonium non datur. Traditio iuris in corpus est obiectum iuridice clarum et sufficiens.

b. Alii Rev.mi Consultores volunt ut obiectum consensus matrimonialis sit potius consortium vitae quod secumferat ius ad actus per se aptos ad prolis generationem (Ill.mi tertius et undecimus Consultores).

c. Alii Rev.mi Consultores denique postulant concordantiam inter can. 1081, § 2 et 1013. Singulae sententiae tamen aliquantulum differunt inter se.

Exc.mus primus Consultor dicit quod can. 1013 et can. 1081, § 2 coincidere debent; quaenam autem scientia subiectiva sit necessaria et sufficiens determinetur in can. 1082.

Rev.mus quartus Consultor dicit matrimonium pertinere ad vitam primariam hominum, ideoque obiectum consensus debet esse id quo matrimonium est ut institutum naturae. Cum autem descriptio positiva adaequata huius obiecti fere impossibilis evadat, melius est dare definitionem vagam consensus matrimonialis et in canonibus sequentibus *quid non sit consensus* definire.

Rev.mus secundus Consultor postulat ut can. 1013 et can. 1081, § 2 coincident, accedit, tamen, ad sententiam Rev.mi quarti Consultoris circa formulam redigendam.

Rev.mus octavus Consultor meminit mentem nostri Coetus fuisse ut in redactione can. 1013 recenserentur tantum elementa essentialia matrimonii; nunc idem intendi debet in redactione can. 1081, § 2, ut nempe illa ipsa elementa sint obiectum consensus. Verum est quod sponsi, quando consensum dant, non attendunt explicite ad omnia illa elementa, sed certe consensus illa omnia implicite comprehendit dummodo expresse non excludantur.

Rev.mus Secretarius pericopen legit ex Litteris Encyclicis *Casti Connubii* quae dicit: «...matrimonium... non oritur nisi ex libero utriusque sponsi consensu: qui quidem liber voluntatis actus, quo utraque pars tradit et acceptat ius coniugii proprium, ad verum matrimonium constitendum tam necessarius est ut nulla humana potestate suppleti valeat» (PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*, 31 dec. 1930, *AAS* 22 [1930] n. 6, p. 548 s.).

Formula can. 1081, § 2, dicit Rev.mus Secretarius, redigi posset ad sensum horum verborum Papae Pii XI.

Rev.mus Relator censet quod si obiectum consensus esset «*ius coniugii proprium*», relatio coniugalis non specificaretur in sua nota distinctiva quae est ordinatio ad bonum prolis per actus per se aptos ad prolis generationem. Ideoque hanc formulam proponit:

«Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo vir et mulier inter se constituunt coniugalem coniunctionem perpetuam et exclusivam, quae specificatur ordinatione ad unionem coniugalem natura sua prolis generativam».

Ex suggestionibus factis (a Exc.mo primo Consultore et Rev.mis decimo et quarto Consultoribus), Rev.mus Relator corrigit suam formulam hoc modo:

«Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo vir et mulier inter se constituunt consortium vitae perpetuum et exclusivum, ordinatum ad unionem coniugalem natura sua prolis generativam».

Adunatio VII^a
die 28 martii 1968 – mane

Huic conventui praeest Em.mus Praeses.

Resumitur formula a Rev.mo Relatore proposita in conventu matutino.

Exc.mus duodecimus Consultor manet anceps circa hanc formulam. Ille enim censet locutionem traditionalem «ius in corpus» nullam difficultatem gignere et derelinqui non posse. Difficultates potius gignuntur ex verbis «ad actus per se aptos ad prolis generationem», quae verba corrigi possunt et debent.

Exc.mus primus Consultor concordat cum Exc.mo duodecimo Consultore et addit se postulare formulam quae coincidat cum can. 1013. Quapropter proponit hanc formulam:

«Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus perpetuum et exclusivum ad constituendam inter se vitae coniunctionem quae specificatur ordinatione ad unionem coniugalem natura sua prolis generativam».

Item Rev.mus decimus Consultor vult locutionem «ius in corpus» et proponit: «...constituant consortium coniugale, quo tradunt ius in corpus perpetuum et exclusivum in ordine ad prolis generationem».

Rev.mus tertius Consultor vero putat locutionem «ius in corpus» denerlinquandam esse quippe quae exprimit factum «biologicum» tantum. Potius dici posset: «...quo constituant unionem qua mutuo pacto dant et acceptant iura et officia substantialia matrimonii inter quae eminet ius ad actus per se aptos ad prolis generationem».

Duo Consultores praeferunt locutionem «ius coniugii proprium» et proponunt: «...quo vir et mulier tradunt et acceptant ius coniugii proprium quod consistit...» (Rev.mus septimus Consultor) vel: «...quod ad prolis pro-

creationem et educationem ordinatur (et ad intimam inter se totius vitae coniunctionem fovendam)» (Rev.mus sextus Consultor).

Alii Consultores magis accedunt ad formulam Rev.mi Relatoris, propositis tamen quibusdam emendationibus:

- Rev.mus secundus Consultor vellet mentionem facere de educatione prolis;
- Rev.mus quartus Consultor libenter acciperet notionem quod consortium coniugale secum fert ius ad *paternitatem*;

Rev.mus octavus Consultor loco «*constituunt consortium*», diceret «...*tradunt et acceptant ius ad consortium...*».

Em.mus Praeses animadvertisit formulam Relatoris non clare praebere notionem quod sponsi per consensum habent ius et officium tradendi corpus in ordine ad actus generationis.

Dum Rev.mus Secretarius censem talem notionem *iuris et officii* implicatam esse in constitutione societatis coniugalis. Ex societate enim profluunt iura et officia ad finem societatis assequendum.

His animadversionibus factis, aliae duae formulae proponuntur in quibus conamen appetit conciliandi sententias Consultorum.

Em.mus Praeses proponit:

«*Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo vir et mulier foedere inter se constituunt consortium vitae coniugale, perpetuum et exclusivum, indole sua naturali ad prolem generandam et educandam ordinatum*».

Rev.mus octavus Consultor proponit:

«*Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius in consortium coniugale perpetuum et exclusivum indole sua naturali ad proles procreationem ordinatum*».

Consultores putant recensem esse formulam Em.mi Praesidis, circa quam sequentes tamen quaestiones factae sunt:

a. Exc.mus duodecimus Consultor et Rev.mus Relator dicunt primam partem formulae descriptionem mere formalem praebere, quin tangat elementum essentiali mutuae obligationis tradendi corpus in ordine ad actus generationis.

Sed III.mus undecimus Consultor asserit consortium, ad proles generationem ordinatum, necessario includere *ius in corpus*.

b. Exc.mi decimus et primus Consultores et Rev.mus sextus Consultor asserunt per locutionem «*constituunt consortium*» indicari aliquid quod est effectus consensus, dum e contra, cum agatur de matrimonio in fieri, consensus versari debet circa *ius ad consortium*.

Ill.mus undecimus Consultor censem consensum versari non posse nisi in societatem in suo esse constitutam, id est in matrimonio in facto esse.

Sed Rev.mus Secretarius asserit distinctionem matrimonii in fieri et in facto esse omnino tenendam esse et quidem non ut distinctionem rationis tantum sed cum fundamento in re: per consensum enim matrimonium fit; matrimonium in suo esse constitutum est effectus ipsius consensus. Ideoque consensus versari debet circa ius quod traditur et acceptatur.

Em.mus Praeses asserit per verba «*foedere inter se (constituunt)*» iam sati affirmari actum quo sponsi se tradunt *iura et officia*.

c. Rev.mus Relator dicit alteram partem formulae Em.mi Praesidis (indole sua naturali ad prolem generandam ordinatum) sat genericam esse cum non clare edicat consortium coniugale ordinari ad actus per se aptos ad prolis generationem. Ut exemplum afferatur, notare oportet per talem formulam non excludi fecundationem artificialem, et sterilitatem, quoad effectus iuridicos, aequiparandam esse impotentiae.

Em.mus Praeses respondit haec omnia clare statui debere in canonibus sequentibus.

d. Idem Rev.mus Relator dicit quod si «*consortium...indole sua naturali ad prolem generandam ordinatur*», iam nihil recipitur ex doctrina Concilii Vaticani II, iuxta quam tale consortium non ordinatur tantum ad prolis generationem.

Em.mus Praeses respondit in sua formula non dici talem ordinationem esse *exclusivam*.

Fit suffragatio placeatne formula Em.mi Praesidis, seposita quaestione num loco «*foedere inter se constituunt*» dicendum sit «*tradunt et acceptant ius in consortium*»:

Placet n. 9; non placet n. 3; abstinet a sententia ferenda n. 1.

Suffragatur placeatne «*foedere inter se constituunt*»:

Placet n. 7; non placet n. 5; abstinet a sententia ferenda n. 1.

Suffragatur placeatne «*tradunt et acceptant ius in consortium*»:

Placet n. 3; non placet n. 9; abstinet a sententia ferenda n. 1.

**Adunatio VIII^a
die 28 martii 1968 – vespere**

Rev.mi decimus, octavus et sextus Consultores et Relator praebent Coetui duas formulas canonis de subiecto impedimentorum, ab ipsis de mandato ipsius Coetus, redactas.

Consultores invitantur ut seligant formulam quae ipsis magis placet.
En formulae:

1. Impedimentis iuris ecclesiastici non tenentur qui non sunt in Ecclesia catholica baptizati vel ad eam conversi; item qui, etsi in Ecclesia catholica baptizati vel ad eam conversi, postea ante decimum quartum?/sextum? aetatis annum completum communitati acatholicae nomen dederunt.

2. Impedimentis iuris ecclesiastici eximuntur acatholici baptizati; item catholici qui ante decimum...aetatis annum completum communitati acatholicae nomen dederunt.

Praferunt primam formulam Exc.mi primi Consultoris et Rev.mi sexti Consultoris dummodo, in fine dicatur «...communitati acatholicae adscripti fuerunt» loco «communitati acatholicae nomen dederunt».

Praferunt alteram formulam Exc.mus duodecimus Consultor et Rev.mi secundus, decimus et septimus Consultores, qui tamen sequentes emendationes facere cupiunt:

- dicatur «communitati acatholicae adscripti fuerint» loco «communitati acatholicae nomen dederunt» (Exc.mus duodecimus Consultor);
- dicatur «non tenentur» loco «eximuntur» (Rev.mus decimus Consultor);
- dicatur «item baptizati in ecclesia catholica qui...», loco «item catholici qui...» (Rev.mus decimus Consultor);
- dicatur «...qui...ab Ecclesia catholica plene defecerunt» loco «...qui...communitati acatholicae nomen dederunt» (Rev.mus secundus Consultor)
- dicatur «...qui...communitati acatholicae vel non christianaem nomen dederunt» (Rev.mus septimus Consultor).

Alii Consultores sequentes suggestiones faciunt:

– Ne sermo sit de exemptione, ob rationes oecumenicas. Potius positive dicatur impedimentis iuris ecclesiastici teneri omnes catholicos (Rev.mi tertius et quartus Consultores). Praeterea Rev.mus quartus Consultor vult impedimenta imponere omnibus qui fidem catholicam dereliquerunt in adulta aeteate, dum Rev.mus tertius Consultor ipse imponere vult tantum apostatis ordine sacro ligatis.

– In formula expresse dici debet exemptionem fieri tantum quoad impedimenta iuris *mere* ecclesiastici (Rev.mi quintus et sextus Consultores).

– Redigatur § in qua dicatur omnes teneri impedimentis iuris naturalis; in alia paragrapho dicatur tantum catholicos (et apostatas) teneri impedimentis iuris ecclesiastici (Rev.mus quartus Consultor).

– Etiam Rev.mus octavus Consultor nolit eximere apostatas ab impedimentis iuris ecclesiastici. Praefert tamen formulam negativam.

– In alia paragrapho vel in alio canone dici deberet quibus legibus regantur matrimonia eorum qui eximuntur ab impedimentis (Ill.mus undecimus Consultor).

Rev.mus Secretarius legit novam formulam can. 12, a Coetu competenti recognitam:

«Legibus mere ecclesiasticis tenentur soli baptizati pro quibus latae sunt et quidem soli baptizati qui sufficienti rationis usu gaudent et, nisi aliud iure expresse caveatur, qui septimum aetatis annum expleverunt».

Ergo, ut canon de subiecto impedimentorum cohaereat cum can. 12, positive dici debet quinam teneantur impedimentis.

Ut facilius formula redigi possit, Rev.mus Relator querit a Consultoribus placeatne imponere legem impedimentorum etiam illis qui per breve tempus Ecclesiae catholicae adscripti fuerunt:

Placet n. 6; non placet n. 4: abstinet a sententia ferenda n. 1.

Adunatio IX^a
die 25 martii 1968 – mane

Rev.mus quartus Consultor censet quaestionem de ambitu canonis de subiecto impedimentorum tres sequentes solutiones habere posse:

a) tenentur impedimentis omnes qui sunt in Ecclesia catholica vel fuerunt;

b) tenentur impedimentis qui sunt in Ecclesia catholica dum matrimonium contrahunt;

c) tenentur omnes baptizati in Ecclesia catholica, illi quoque qui post decimum quartum (sextum) aetatis annum Ecclesiam dereliquerunt.

Fit suffragatio circa has tres solutiones:

solutio (a) — placet n. 7.

solutio (b) — placet n. 1

solutio (c) — placet n. 4.

Rev.mus octavus Consultor proponit hanc formulam:

«Impedimentis iuris mere ecclesiastici tenentur tantum omnes in Ecclesia catholica baptizati et ad eam conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint».

Suffragatur haec formula:

Placet n. 5; non placet n. 2; placet iuxta modum n. 5.

Excuntiuntur modi:

1. Exc.mus duodecimus Consultor:

a) loco «et ad eam conversi» dicatur «vel ad eam conversi» — placet omnibus.

b) loco «ad eam conversi» dicatur «in eam recepti» — placet n. 8; non placet n. 2; abstinent a sententia ferenda n. 2.

2. Exc.mus primus Consultor

a) loco «tenentur» dicatur «ligantur» — placet n. 3; non placet n. 7; abstinent a sententia ferenda n. 2.

b) loco «tantum omnes in Ecclesia catholica baptizati» dicatur «tantum illi qui sunt in Ecclesia catholica baptizati» — placet n. 7; non placet n. 2; abstinent a sententia ferenda n. 3.

3. Rev.mus decimus Consultor: supprimantur ultima verba «...licet sive hi sive illi etc.» — placet n. 2; non placet n. 9; abstinet a sententia ferenda n. 1.

4. Rev.mus quintus Consultor:

a) loco «in Ecclesia catholica baptizati» dicatur «ab Ecclesia catholica baptizati» — placet n. 1; non placet n. 10: abstinet a sententia ferenda 1.

b) loco «vel ad eam conversi» dicatur «vel ad eam ex alia religione rite acceptati» — placet n. 1; non placet n. 9: abstinent a sententia ferenda n. 2.

5. Rev.mus sextus Consultor: loco «*vel ad eam conversi*» dicatur «*vel ad eam ex communitate religiosa acatholica conversi*» – placet n. 1; non placet n. 10; abstinet a sententia ferenda n. 1.

Ideoque formula canonis de subiecto impedimentorum sequens erit:

«*Impedimentis iuris mere ecclesiastici tenentur tantum illi qui sunt in Ecclesia catholica baptizati vel in eam recepti, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint*».

Rev.mus Relator quaerit num edicendum sit baptizatos exemptos ab impedimentis iuris mere ecclesiastici teneri legibus suae communitatis religiosae, vel legibus civilibus in materia impedimentorum.

Aliqui Consultores (Exc.mus primus Consultor et III.mi secundus, decimus et undecimus Consultores) censem talem normam statuendam esse ad explendam lacunam legis ex exemptione ortam. Ecclesia enim sibi vindicat exclusivam competentiam in regendo matrimonio christianorum, ergo illam lacunam expleri debet.

Rev.mus decimus Consultor tamen dicit normam statuendam esse in alia parte Codicis.

Exc.mus duodecimus Consultor, etsi admittat lacunam extare, practice tamen censem illam expleri non posse. Si enim, ad explendam lacunam, reciperemus leges civiles vel aliarum communitatatum christianarum, id temere fieret, quia nescimus quid illae leges edicant.

Item Rev.mus octavus Consultor putat nos non posse agnoscerre illas leges, quae saepe etiam normas iuris internationalis privati continent, per quas magis res miscentur atque turbantur.

Rev.mus Secretarius et Rev.mus quartus Consultor negant per exemptionem lacunam in iure ortam esse. Quod si putetur lacunam extare, satius esset talem lacunam habere, quia eius expletio permultas difficillimassequaestiones suscitaret, inter quas, dicit Rev.mus Secretarius, illa eminet de canozandis legibus (civilibus vel communitatatum christianarum), quae plerumque principio annullabilitatis seu dissolubilitatis matrimonii nituntur.

Post has animadversiones fit suffragatio num placeat aliquid decernere de illis matrimonii baptizatorum ab impedimentis iuris ecclesiastici exemptorum:

Nemini placet.

Rev.mus quartus Consultor praeterea quaerit num conficienda sit § 2 in qua dicatur omnes baptizatos teneri impedimentis iuris naturalis.

Omnes alii Consultores nolunt hanc § 2.

Can. 1082:

Relator dicit circa hunc canonem duas quaestiones examinandas esse: num retinendus sit canon qui minimum scientiae requisitae definit, ut matrimonialis consensus haberi possit; et de obiecto talis scientiae.

1. Num retinendus sit canon qui minimum scientiae requisitae definit, ut matrimonialis consensus haberi possit

Rev.mus Relator dubium movet num illud minimum definiri possit. Dicit se novisse coniuges, ceteroquin omnino normales, qui conati sunt ope novenarum a Deo obtinere gratiam prolem inveniendi (?). Postea, melius edocti, laeti scientiam de mutua cooperatione corporali acceperunt et executioni dederunt. Ipsi de consensu renovando ne cogitabant quidem, ideoque acceptatio coniunctionis corporalis iam virtualiter continebatur in priore consensu. E contra, supponatur casus in quo sponsa iam satis noverit de quadam cooperatione corporali, at deinde, matrimonio celebrato, ad unionem corporalem induci nequit, quia, cognita realitate, pro indole sua abnormi, a copula abhorret: num in ipsius consensu, etsi res sufficienter nota fuerit, unio corporalis virtualiter continebatur?

Forte satius erit, concludit Rev.mus Relator, omittere definitionem scientiae minime requisitae, et indicere tantummodo, modo negativo, errores consensum irritantes.

Rev.mus tertius Consultor consentitur cum Rev.mo Relatore.

Item Rev.mus quartus Consultor censet can. 1082 supprimi posse, qui saepe sponsi contrahunt matrimonium voluntate quadam pragmatica; assentient scilicet in faciendo quod alii faciunt: quia et alii matrimonium faciunt, et ipsi matrimonium faciunt. In tali contextu sociologico non desunt casus sponsorum, qui nihil sciunt circa obligationem ad actus sexuales.

Omnes alii Consultores censem canonem, minimum scientiae requisitae definientem, supprimi non posse. Nihil enim volitum quin praecognitum, ideoque nemo obligari posset ad reddendum ius in corpus nisi minimum illud scientiae praerequireretur. Praeterea, dicit Rev.mus quintus Consultor, parentia illius scientiae est causa nullitatis; iamvero nullitas declarari non posset nisi exstaret lex circa necessitatem illius scientiae.

Ad casus a Rev.mo Relatore allatos quod attinet, Exc.mus duodecimus Consultor animadvertis illos non esse ad rem, quia in primo casu matrimonium non datur et in altero casu matrimonium solvi potest, cum consummatum non sit.

2. De obiecto scientiae sine qua contrahentes consensum validum dare ne-queunt

Rev.mus Relator proponit Consultoribus ut perpendatur propositio quam habet Ill.mus undecimus Consultor in suo voto, ut nempe edicatur sponsos duo saltem scire debere:

- a. matrimonium esse consortium viri et mulieris;
- b. in matrimonio *legitimari* coniunctionem corporum per se aptam ad prolis generationem.

Formula enim quam proponit Ill.mus undecimus Consultor haec est:

«*Ut matrimonialis consensus haberi possit, necesse est ut contrahens saltem non ignorant matrimonium esse consortium inter virum et mulierem in quo legitimatur coniunctio corporum viri et mulieris per se apta ad prolis generationem».*

Ill.mus undecimus Consultor rationes affert suae propositionis. Dicit, enim, oportere ut nubentes clare distinguant societatem matrimonialem a quocumque alio modo sese consociandi, ut puta in aliquo concubinatu; ideoque proponit ut «*contrahentes saltem non ignorant matrimonium esse consortium inter virum et mulierem*», esse modum scilicet sese consociandi quo sponsi sua omnia ita in commune conferunt, ut unius fortuna cum fortuna alterius arcte conectatur. Praeterea nubentes scire debent hoc consortium id praecipuum ac peculiare habere ut in se comprehendat et legitimos reddat actus intimi commercii carnalis prolis generativi; ideoque proponit «*...consortium...in quo legitimantur coniunctio corporum viri et mulieris per se apta ad prolis generationem*». Per haec duo elementa Ill.mus undecimus Consultor censem canonem 1082, § 1 suum finem tuto consequi posse ut scilicet identificet matrimonium ut quid peculiare distinctum a quacumque alia ratione se habendi inter virum et mulierem.

Adunatio X^a
die 29 martii 1968 – vespera

Fit discussio circa propositionem Ill.mi undecimi Consultoris de can. 1082, § 1.

Exc.mus duodecimus Consultor: Rationes undecimi Consultoris non videntur tam graves ut inducant ad explicite asserendum coniunctionem maritalem legitimam evadere per matrimonium. Illa legitimitas enim implicite, sed clare, appareat ex formula can. 1082, § 1 prout est in Codice.

Nubentes enim contrahunt matrimonium prout regitur lege naturali et canonica. Ideoque formula undecimi Consultoris quoad substantiam coincidere videtur cum formula CIC.

Exc.mus primus Consultor: Formula undecimi Consultoris placet, dempto verbo «*legitimatur*». Non videtur enim talem rationem legitimatis comprehendi explicite debere in ambitu scientiae minime requisitae quam nubentes habere debent circa matrimonium.

Rev.mus secundus Consultor: Formula undecimi Consultoris placet quia videtur cohaerere cum iurisprudentia S.R. Rotae. Si verbum «*legitimatur*» non placet, substitui posset cum verbis: «...consortium...cum iure coniunctionis corporis, etc.».

Rev.mus decimus Consultor: Censet satis exprimi rationem distinctivam unionis matrimonialis a quacumque alia unione, ut puta concubinatu, si dicatur «*consortium perpetuum inter virum et mulierem in quo coniunctione carnali filii procreantur*».

N.B. Rev.mi quartus et octavus Consultores obiiciunt Rev.mo decimo Consultori verbum «perpetuum» non apte discriminare matrimonium a concubinatu, quia il can. 1084 edicitur simplicem errorem circa indissolubilitatem matrimonii, etsi det causam contractui, non vitiare consensum matrimoniale.

Rev.mus tertius Consultor assentitur Rev.mo secundo Consultori.

Rev.mus quintus Consultor: Scientia quae a nubentibus postulatur quid revera minimum (ad validitatem) attingere debet. Secus concludi debet plures inhabiles esse ad matrimonium contrahendum. Iamvero, ut matrimonialis consensus habeatur, sufficit ut contrahentes sciant matrimonium importare aliquod consortium ad filios procreandos.

Rev.mus quartus Consultor: Assentitur Ill.mo undecimo Consultore canonem scilicet continere debere illa duo elementa per quae matrimonium appareat esse aliquid omnino distinctum a quacumque alia ratione se habendi inter virum et mulierem. Per se recipi posset in canonem etiam elementum *legitimatis* coniunctionis corporum, ad mentem Ill.mi undecimi Consultoris, sed non est necessarium. Quod autem sponsi intendere debeat praecise *coniunctionem* corporum, item non videtur necessarium, sed sufficit ut sciant filios procreari *ope corporum*. Omnibus perpensis, dicit Rev.mus quartus Consultor, retineri posset canon prout est in CIC.

Rev.mus septimus Consultor: Finis can. 1082 est determinare scientiam infra quam matrimonium consistere nequit. Iamvero, ut habeatur matrimonium, sufficere videtur ut nubentes sciant matrimonium importare aliquam societatem et aliquam coniunctionem corporum ad filios pro-

creandos. Non vero necessario requiritur ut nubentes bene distinguant matrimonium a concubinatu.

Rev.mus sextus Consultor: Placet formula CIC prouti est. Quod si Consultores putent innuendam esse distinctionem inter matrimonium et concubinatum, sufficit dicere «...matrimonium esse societatem...inter virum et uxorem...». Item adhiberi posset verbum «consortium» loco «societatem». Ne introducatur autem elementum *legitimitatis* coniunctionis corporum, quia est elementum morale potius quam iuridicum.

Rev.mus octavus Consultor: Placet verbum «consortium» loco «societatem»; tamen servari debet verbum «permanens», quia illud «permanens» bene distinguit matrimonium a concubinatu. Aliqui censem talem distinctionem iam clare innui ex verbo «contrahentes», sed melius esset expresse dicere «consortium permanens».

Praeterea aliquid dicendum est in canone de coniunctione corporum, quin exprimatur talem coniunctionem *legitimari* per matrimonium. Formula, ergo, ita recognosci posset: «...matrimonium esse consortium permanens inter virum et mulierem ad prolem coniunctione corporali obtainendam».

Ill.mus undecimus Consultor respondit suggestionibus Consultorum et meminit canonem elementa essentialia et propria matrimonii praebere debere ad vitandum errorem iuris circa identitatem matrimonii, circa id scilicet per quod matrimonium distinguitur a quocumque alio genere societatis inter virum et mulierem. Ideoque retinenda videntur haec elementa:

- a. matrimonium est consortium. Bene tamen addere potest quod est consortium *permanens*. Per se retineri posset, si placet, verbum «societas», quin pro verbo «consortium» substituatur;
- b. in matrimonio *legitimatur* coniunctio corporum ad prolis generacionem. Tale elementum autem bene exprimi potest per verba proposita ab Rev.mo secundo Consultore «...cum iure coniunctionis corporum...».
- c. Prolis generatio habetur non per osculum vel amplexum vel cetera huiusmodi, sed per coniunctionem corporum.

Iamvero can. 1082 retineri non potest prouti iacet quia ex ipso non clare apparet distinctio inter matrimonium et concubinatum, neque inferri potest ad specificam coniunctionem corporum prolis generativam.

Ad elementum *legitimitatis* coniunctionis corporum quod attinet, Ill.mus undecimus Consultor admittit ipsius expressam mentionem omitti posse.

Relator concludit ex discussione satis clare deduci posse elementum *legitimitatis* coniunctionis corporum omittendum esse. Quaerit adhuc num

Consultores censeant aliud quoque elementum recensendum sit in canone, elementum nempe amoris quo procreatio more congruo dignitati humanae instauretur. Sunt enim Consultores (Exc.mus duodecimus Consultor et Rev.mus decimus Consultor) qui hoc in suis votis postulaverunt.

Alii Consultores nolunt edicere contrahentes scire etiam debere matrimonium esse communitatem amoris ut matrimoniale consensum dare possint.

Committitur Rev.mo Relatori ut redigat formulam can. 1082, § 1 secundum placita in discussione a Consultoribus prolata.

Adunatio XI^a
die 30 martii 1968 – mane

Relatore praebet Consultoribus formulam can. 1082, § 1, quam redegit his verbis:

« *Ut consensus matrimonialis haberi possit, necesse est ut vir et mulier saltem sciant se velle ligari consortio permanenti ordinato ad prolem (cooperazione quadam corporali) procreandam (et educandam)* ».

Ipse Relator commentatur suam propositionem per partes:

a. « *sciant* » — Consultores seligere possunt etiam aliud verbum ut puta: intelligent, concisi sint, perspiciant, loco « *non ignorant* ».

b. « *se velle ligari* » — mens est:

1. debent intelligere se velle ligamen, vinculum (etsi forte non legitimum seu validum!);

2. ipsi haec scire debent scientia pragmatica, non abstracta et theo-rica, qualis in canone actuali habetur;

3. debent scire imprimis *se ligatos esse consortio*, seu vinculum exi-stere inter duas personas; forte id clarius adhuc dici potest, ita: « *se sibi in-vicem ligatos esse velle* ».

c. « *consortio* » — loco « *societatem* »;

d. « *cooperatione quadam corporali* » — vel « *unione corporali* »; « *quadam* » per se est superfluum, at expresse significat scientiam vagam suf-ficere;

e. « *et educandam* » — cf. can. 1081, § 2 novam!

Deinde fit discussio et suffragatio per partes.

Circa verba « *saltem sciant* » loco « *saltem non ignorant* » sequentes ani-madversiones habentur:

a. locutio «*saltem non ignorent*» non tangit gradum scientiae requisitae, imo bene innuit hic agi de illa scientia minima infra quam consensus haberi non potest. Ideoque locutio retinenda est. Ita Rev.mus secundus Consultor, cui consentit Exc.mus primus Consultor et Rev.mi quartus, sextus, et septimus Consultores.

b. Exc.mus duodecimus Consultor et Rev.mus octavus Consultor censem locutiones «*saltem non ignorent*» et «*saltem sciant*» minime differre inter se.

c. Ill.mus undecimus Consultor mallet verbum «*intelligant*» loco «*sciant*», quia verbum intelligere denotat operationem intensivam quae manet in ambitu intellectus.

Sed Rev.mus secundus Consultor memorat undecimo Consultori sensum cuiusdam sententiae S.R. Rotae in qua dicebatur partes cognoscere debere matrimonium modo axiologico. Cognitio axiologica vero nequit exprimi per verbum «*intelligere*».

Suffragatur placeatne locutio «*saltem non ignorent*»:

Placet n. 8; non placet n. 4.

Circa verba «*se velle ligari consortio permanenti*» sequentes animadversiones habentur:

a. Rev.mus quartus Consultor animadvertisit in formula CIC agi potius de scientia obiectiva quam partes habere debent, dum per verba «*sciant se velle ligari*» denotatur scientia subiectiva partium.

Assentiunt Exc.mi primus et duodecimus Consultores et Rev.mi decimus, tertius, septimus, sextus, octavus Consultores, qui omnes malunt formulam quae dicat: «...*saltem non ignorent matrimonium esse...*»;

b. Rev.mi secundus et tertius Consultores propununt ut dicatur: «...*sciant se ligatum iri consortio...*».

c. Rev.mus decimus Consultor censem quod verbum «*ligari*», etsi bene praebeat elementum distinctivum a concubinatu, dubitari potest num facile ad intelligendum pro rudibus evadat. Melius esset retinere verbum «*societas*» (...non ignorent matrimonium esse *societatem*) eo vel magis quod optandum videtur ut in Codice retineatur mentio illius primae caellulae societatis humanae quae est communitas coniugalis.

Assentiunt Exc.mus primus Consultor et Rev.mus sextus Consultor.

Assentit etiam Rev.mus Secretarius qui, praeterea, censem per verbum «*societatem*» in tuto poni obiectum contractus consensualis esse aliquid a iure determinatum, quod non pendet a voluntate contrahentium.

d. Rev.mus quartus Consultor negat verbum «*ligamen*» esse difficile ad intelligendum pro rudibus. Fatetur tamen se preferre verbum «*consortium*».

e. Cum finis can. 1082, dicit lll.mus undecimus Consultor, sit ad determinanda elementa essentialia matrimonii quorum nescientia vel erronea cognitio facit ut consensus dari nequeat necesse est ut in tali canone utantur verba quibus matrimonium bene distinguatur a concubinatu. Iamvere redactio can. 1082, prout in CIC, non videtur talem finem adaequate attingisse.

Rev.mus Secretarius respondit undecimo Consultori quod si de obiecto contractus agatur (et in can. 1082 agitur praecise de obiecto contractus), cum dicitur «*contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem*», nulla aequivocatio est possibilis inter matrimonium et concubinatum. Obiectum consensus enim est societas prout a lege statuta et consensus causam dat contractui talis societatis, quae de iure est indissolubilis, ad filios procreandos. E contra consensus nequit dare causam contractui concubinatus, quia concubinatus non praebet elementa per verba «*societatem permanentem*» aequivocationem matrimonium inter et concubinatum impossibilem evadere.

Post discussionem fit suffragatio an placeat verbum «*ligamen*» vel «*societatem*» vel «*consortium*».

Maiori parti Consultorum placet verbum «*consortium*».

Deinde redigitur hoc comma pro suffragatione: «...necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse consortium permanens inter virum et mulierem...»:

Placet n. 8; abstinet a sententia ferenda n. 1; placet iuxta modum n. 3. Modi sunt sequentes:

a. «...necesse est ut uterque contrahens saltem non ignoret...» (Rev.mus sextus Consultor);

b. «...necesse est ut contrahens saltem non ignoret...» (Rev.mi octavus et quartus Consultores).

Denique fit discussio circa ultimum comma: «...ordinatum ad problem (cooperatione quadam corporali) procreandam (et educandam)».

Quaeritur placeatne in genere recipere in canone propositio de «*cooperatione corporali*»:

Placet n. 8; non placet n. 4.

Quaeritur placeatne etiam de educatione prolix in canone loqui.

Nemini placet.

Aliqui Consultores ergo proponunt ut comma ita redigatur: «...ordinatum ad prolem cooperatione aliqua corporali procreandam...».

Placet n. 8; non placet n. 4.

Textus can. 1082, § 1 ergo sequens est:

« Ut consensus matrimonialis haberi possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse consortium permanens inter virum et mulierem ordinatum ad prolem, cooperatione aliqua corporali, procreandam ».

APPENDIX

SCHEMA CANONUM

Canon de subiecto impedimentorum suo loco collocandus:

« Impedimentis iuris mere ecclesiastici tenentur tantum illi qui sunt in Ecclesia catholica baptizati vel in eam recepti, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint ».

Can. 1081

§ 1. Matrimonium facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus; qui nulla humana potestate suppleri valet.

§ 2. Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo vir et mulier foedere inter se constituant consortium vitae coniugalnis, perpetuum et exclusivum, indole sua naturali ad prolem generendam et educandam ordinatum ».

Can. 1082

§ 1. Ut consensus matrimonialis haberi possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse consortium permanens inter virum et mulierem ordinatum ad prolem, cooperatione aliqua corporali, procreandam.

